

R. ad 3^m Quæst. 1^o Venditio est valida, nisi lex eam in aliquo casu irri-
tet, ut irritantur ex Jure Gallico contractus qui fiunt intra decem dies
qui cessionem præcedunt. 2^o Illicita vero est quoties est fraudulenta, seu
quando bona venduntur cum prævisione proximæ cessionis, ut creditori-
bus subtrahantur.

729. — *R. ad 4^m Quæst.* Seu, quid de OLIBRIO in triplici casu? *In primo*
et secundo casu non est inquietandus, si pecunia quam seposuit, vel ser-
vavit, sit ipsi vere *necessaria* ad suam miseriam sublevandam. Sequitur
ex dictis in responsione *ad 1^m Quæsitum*. — *In tertio casu*, tum OLIBRIUS,
tum ejus debitor, peccat contra justitiam fraudulenter prædium vendendo
cum creditorum detrimento. Igitur, si pretium agri adhuc habeat, credito-
ribus illud restituere debet. *V. Comp. n. 719-788.*

CASUS XV.

DEBITORES ANGUSTIIS PRESSI.

1^o MAURUS, antequam cessionem bonorum publice faciat, BERTÆ filiæ
suæ 200 fr. elargitur, titulo donationis vel remunerationis, ob officia ab
ea sibi præstita.

2^o ROMANUS, iisdem pressus angustiis; bona sua fere omnia filiis suis
vendit, sicque ea e creditorum manibus eripit et in sua familia servat.

3^o ADRIANUS, debitis solvendis impar, postulat et obtinet juridicam
bonorum separationem ipsum inter et uxorem, ne utriusque bona, quæ
communis sunt, in creditorum prædam deveniant.

HINC :

QUÆR. 1^o *An MAURUS contra justitiam peccaverit?*

2^o *An ROMANUS ab injustitiæ labe immunis sit?*

3^o *Quid de ADRIANO statuendum?*

SOLUTIO :

730. — *R. ad 1^m Quæst.* MAURUS *per se* peccavit contra justitiam erga
creditores, 200 fr. filiæ gratuito erogando. Ille enim qui debita sua sol-
vere nequit, donationes elargiri non debet. Dixi *per se*, quia excipi forte
posset casus in quo, magna inopia pressus, id faceret ut a filia inde suble-
varetur; vel si hanc pecuniam filiæ dedisset non gratuito, sed in remune-
rationem ante officia præstita promissam. Sed illæ exceptiones in casu
nostro comprehendi non videntur.

731. — *R. ad 2^m Quæst.* ROMANUS de gravi injustitia *per se* damnandas
est, quia hæc agendi ratio est omnino iniqua et fraudulenta, ut nemo non
videt. Attamen in aliquo casu excusari potest, v. g. si filiis bona sua
vendendo, et ea in familia servando, intenderet pretium creditoribus tri-
buere, vel si ea vendat ut majus pretium obtineat, et sic creditoribus
faveat, nedum ipsis noceat.

R. ad 3^m Quæst. ADRIANUS non videtur inquietandus *per se*; uxor enim
jus habet juridice petendi bonorum separationem, modo id absque *fraude*
fiat, nec uxor injustitiis mariti cooperata fuerit, v. g. in debitis injuste
vel prodigaliter contrahendis.

CASUS

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

SEU

*De restitutione pro homicidio, pro stupro et adulterio, pro defrauda-
tione in tributis, et pro damno occasione militiæ.*

CASUS I.

RESTITUTIO PRO HOMICIDIO 1^o.

HIRCINUS, inimicus BERARDI, ei vitam eripere decrevit, cum impune
hoc pravi animi consilium exsequi posset. Paulo post accidit, ut inter
BERALDUM et RUFUM grave exoriretur dissidium. RUFUS ira excandescens,
pluribus audientibus, se interfectorum BERALDUM jurat. His cognitis, HIR-
CINUS judicat propitiam occasionem sibi offerri, iram in BERALDUM absque
ullo sui periculo explendi: prævidet enim hujus mortem RUFUS imputan-
dam esse, quippe qui, ob alia crimina, vulgo scelestus habetur. Itaque,
spe impunitatis fretus, sequenti nocte BERALDUM domum revertentem
clam occidit. Die sequenti, morte BERARDI vulgata, RUFUS criminis
reus vulgo putatur: quare a satellitibus comprehensus, et in judicium
adductus, tum testimonio eorum qui eum mortem BERARDI juramento
promittentem audierant, tum aliis indiciis, capite damnatur ac plectitur.
Hinc RUFUS uxor et teneræ adhuc ætatis filii, qui omnes ejus labore victita-
bant, ad egestatem redacti sunt.

HINC :

QUÆR. 1^o *An mors RUFUS, præter BERARDI necem, sit HIRCINO impu-
tanda?*

2^o *An ad aliquid teneatur erga familiam RUFUS et familiam
BERARDI, si detrimentum ex ejus morte patiantur, licet
in egestate non versentur?*

3^o *An ad aliquid teneatur erga alios cognatos, præter uxorem
et filios et parentes?*

SOLUTIO :

732. — *R. ad 1^m Quæst.* HIRCINO minime parcendum. Etenim, præter
BERARDI homicidium, etiam RUFUS mors ipsi imputanda est. Ratio est, quia
cædes BERARDI, in istis circumstantiis patrata, gravissimam suspicionem
in RUFUM *per se* injicit, ita ut ejus damnationis causa moralis fieret.
V. Vogler, n. 174, ubi similem habet casum, et eodem modo solvit.

Dices: Prævisio damni non sufficit, juxta multos, ut prævidenti dam-
num sit imputabile, si ipse per suam actionem non sit ejus causa efficax.
Porro in præsentis casu HIRCINUS est tantum occasio, et non causa dam-

nationis RUFII. Ergo hæc damnatio non HIRCINO, sed errori judicum est imputabilis.

R. In nostro casu non agitur tantum de damno præviso, sed etiam de damno moraliter creato et vere intento. HIRCINUS enim de industria uti voluit præsentibus circumstantiis, RUFO maxime nocivis, ad homicidium BERARDI patrandum. Ergo datur vera connexio inter media ab ipso adhibita et RUFII damnationem; ergo mors RUFII est reapse HIRCINO imputabilis; ergo HIRCINUS nulla misericordia dignus est. *Vogler, ibid.*

733. — R. ad 2^m Quæst. HIRCINUS tenetur per se ad restitutionem erga utramque familiam, tum BERARDI, tum RUFII, si damna ex eorum morte passæ sint. Est enim causa necis utriusque, scilicet, causa *physica* mortis prioris, et causa *moralis* mortis posterioris. Per familiam autem intelliguntur cognati proxime conjuncti, ut sunt filii, parentes, uxor, quia isti censentur esse una eademque persona cum defuncto. Attamen *probabiliter* homicida a restitutione excusandus est circa damna futura, si cognati facile sibi subvenire possint; quia cognati non videntur jus habere nisi ad ea quæ occisus, ex stricta pietate, ipsis erogare debuisset. *V. Comp. n. 725-726.*

734. — R. ad 3^m Quæst. HIRCINUS *probabiliter* non tenetur ad resarcienda damna quæ subire potuerunt alii cognati occisorum, præter eos qui stricte et proxime sunt conjuncti, ut modo dictum est; quia fuit causa remota tantum et velut per accidens, horum damnorum. *V. Comp. ibid. — Elbel, n. 210. — Lacroix, n. 310, etc.*

CASUS II.

RESTITUTIO PRO HOMICIDIO 2^o.

JACOBUS occidit MARCUM, qui familiam luxu et potu depauperabat. Jubeatur a Confessario, ut aliquam pecuniæ summam compensationis titulo tribuat. Respondet ille mortem MARCI minime ejus familiæ nocuisse, imo potius in ejus beneficium vertisse. Instat Confessarius, et parere nolentem absque absolutione dimittit.

2^o UBALDUS, habita cum SABIANO querela, ira percitus, alapam adversario impegit. SABIANUS injuriam talem sola sanguinis effusione reparari posse censet; UBALDUM igitur in singulare certamen provocat. Hic vero infeliciter decertans in palæstra, ab illo confossus occubuit, uxorem, filios et matrem ipsam angustiis et inopia pressos relinquens.

HINC :

- QUÆR. 1^o An JACOBUS reapse ad aliquid teneatur erga familiam MARCI, quem occidit? Et an Confessarius compensationem illam injungere potuerit?
- 2^o An SABIANUS resarcire debeat damna quæ, ex occisione adversarii in duello, ejus familiæ evenerunt?
- 3^o An provocatus ad duellum, si adversarium occidat, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ damna familiæ occisi illata compensare teneatur?

SOLUTIO :

735. — R. ad 1^m Quæst. Nego. JACOBUS enim nullum damnum intulit familiæ MARCI, cum e contrario majorem bonorum dilapidationem impeditur. Ergo Confessarius non potuit, ratione justitiæ, illam compensationem erga prædictam familiam præscribere sub absolutionis denegatione. Potuit tantum, per modum pœnitentiæ, ipsi injungere ut aliquid huic familiæ tribuat, si inopia laboret, vel ea non indigente, ut eleemosynas pauperibus eroget. Contradicit *Collator Ruthenensis, de justitia, p. 280*; quia, ait, MARCUS potuisset ad meliorem frugem se recipere, et familiæ opitulari. Sed spes illa admodum tenuis apparet; præter quod non est imponenda obligatio restitutionis pro damnis adeo incertis et remotis.

736. — R. ad 2^m Quæst. Nego. Ratio est, quia decertans in duello sive provocans, sive provocatus, censetur facere adversario potestatem ut contra se agat quantum potest: ergo pariter censetur consentire in sui occisionem, casu quo fuerit superatus, et consequenter remittere obligationem compensandi. *Scienti enim et volenti non fit injuria*, quando jus remitti potest; atqui duellans remittere potest bona temporalia. Ergo, etc. *Elbel, n. 217.* — Sunt tamen quædam jura familiæ quibus duellista renuntiare nequit, scilicet, jura *strictissimæ pietatis*; juxta quæ, v. g., paterfamilias suæ familiæ indigenti procurare necessaria debet.

R. ad 3^m Quæst. Nego. Sequitur ex dictis. Etenim qui duello confligit, confert adversario potestatem agendi contra se in quantum potest. Ergo circa hoc censetur pariter renuntiare juri suo, in ordine ad damna ab altero resarcienda. *Elbel, ibid. — V. Comp. n. 725, etc.*

CASUS III.

RESTITUTIO PRO STUPRO.

SILVIA, puella bonis imbuta moribus, infelici casu a LUPINO seducta, vel potius violenter oppressa est. Virginitatis suæ jacturam deplorans, et quasi desperationi proxima, elapsis duobus vel tribus mensibus, ad LUPINUM accessit, asserens falso, se ex illo concepisse, postulansque ut sibi, tum pro defloratione, tum præsertim ad vitandam infamiam, et prolem alibi pariendam et educandam, duo francorum millia solveret; secus minabatur eidem accusationem coram judice, et propalationem criminis coram universo mundo. LUPINUS, tum ad vitandam infamiam, tum ad prolem enutriendam et educandam, postulata pecuniam, licet valde invitatus, solvit. SILVIA vero, ad confitendum accedens, a Confessario postulat, an prædictam pecuniam acceptam retinere possit? At Confessarius pecuniam illam LUPINO restituendam esse pronuntiat.

HINC :

- QUÆR. 1^o An SILVIA acceptam fraude pecuniam servare possit in compensationem jacturæ virginitatis vel alio titulo?
- 2^o Quid, si puella non habuerit intentionem LUPINUM denunciandi, neque ejus crimen propalandi, sed id ad pecuniam extorquendam simulaverit?

SOLUTIO :

737. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° SILVIA nihil potest retinere præcise pro jactura virginitatis, quia hæc jactura non est prætio æstimabilis, et proinde illud damnus pecunia compensari nequit. *S. Lig. n. 640. — V. Comp. n. 728.*

2° Neque potest retinere pecuniam fraude obtentam, sub prætextu prolis alibi pariendæ et educandæ; quia, ubi intervenit error circa causam principalem impellentem, movens ad contractum ineundum, ibi contractus est nullus. Atqui motivum finale, partialiter saltem, non subsistit, quia nulla est proles parienda. Ergo contractus, in quantum pro educatione prolis aliquid datum est SILVIE, est nullus de jure naturali. Ergo SILVIA sub illo respectu nihil retinere potest.

3° SILVIA servare potest partem pecuniæ, scilicet, ratione cessionis juris quod habet LUPINUM denunciandi, vel crimen ejus manifestandi. Ratio est, quia ex illa parte subsistit motivum formale honestum, pecuniæ a LUPINO concessæ. Etenim SILVIA, ob illatam sibi injuriam per stuprum, LUPINUM accusare et diffamare potuisset: ergo potuit aliquid juste acceptare, eo fine ut e jure suo cederet. Hæc enim cessio juris est vere pretio æstimabilis; nec est dubium quod stuprator malit solvere certam summam puellæ, et famam servare, quam infamiæ, dissidiis, aliisque innumeris malis inde proventuris, et judicis sententiæ subijci. Verum occurrit difficultas, scilicet quantam summam puella retinere possit? Solutio præsertim pendet a variis circumstantiis, v. g. ex atrocitate injuriæ, ex stupratoris facultatibus, etc., etc. *Elbel, de Contr. in genere, n. 307. — Lugo, de Contr., D. 22, n. 166. — Lacroix, l. 3, part. 2, n. 635. — Lessius, Sanchez, etc.* In dubio, omnibus perpensis, quidni SILVIA dimidiam pecuniæ partem servare posset? *Recole dicta supra, n. 626-627.*

738. — *R. ad 2^m Quæst.* Nihilominus SILVIA poterit partem pecuniæ servare, juxta superius dicta, licet non habuerit animum stupratorem denunciandi, sed tantum pecuniam obtinendi. Etenim talis dolus non est injustus: nam juste poterat minari, sive habuerit serium animum denunciandi, sive non. Non enim omnis dolus malus est; sed etiam datur bonus, vel certe indifferens, qui potius industria vel solertia quam fraus dici debet, scilicet, aliud faciendo et aliud intendendo, commodi justis gratia. *Ita Elbel, ibid. n. 309. — Lacroix, ibid. — Lessius, — Sanchez, — Diana, etc., contra Lugo, ibid. n. 166. Recole dicta supra, n. 627.*

CASUS IV.

RESTITUTIO PRO FORNICATIONE 1°.

LABANUS, precibus et blanditiis, ROMELIAM, puellam, in peccatum induxit. Primum reluctans illa, consensum tandem præstitit. Deinde subsecuta est proles, quæ ab ortu statim tumultu excepta est. Verum, divulgato crimine, ROMELIA nullam matrimonii honesti occasionem invenire potest. Quapropter damnorum compensationem a LABANO cum strepitu, indignabunda, requirit.

HINC

QUÆR. 1° *Ad quid teneatur pater illegitimæ prolis?*2° *An LABANUS ad aliquid erga ROMELIAM teneatur?*

SOLUTIO :

739. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° Si stuprator vi, fraude, dolo, minis, puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel ejus parentibus obvenientia, quia est causa efficax et injusta totius damni.

2° Si mulier sollicitationi consentit, fornicator ad nihil tenetur, nisi ex pravo consortio proles nata et educanda sit, ut modo dicitur.

3° Si vero, stante eodem casu, proles nata et educanda sit, tum pater, tum mater expensas ad ejus educationem de jure naturæ pro rata conferre debent. *Ex jure Romano*, mater tenetur alere prolem per tres annos, et postea pater ei providere debet. *In Jure Gallico*, nihil expresse statuitur; attamen jurisperiti agnoscunt patrem et matrem in solidum æque obligari, saltem ad alendos et educandos filios legaliter recognitos. Si autem filii non fuerint recogniti, eadem obligatio ex jure naturali ad ipsos pertinet.

740. — *R. ad 2^m Quæst.* LABANUS ad nihil per se tenetur, nisi ipse rem propalaverit. Etenim, ex dictis, ubi mulier libere in peccatum consensit, vir ad nihil tenetur, nisi ex parte sua ad expensas pro educatione prolis faciendas. Atqui in nostro casu nullæ sunt expensæ faciendæ pro educanda prole, siquidem ex utero matris in tumultum translata est. Ergo ROMELIA sibi imputare debet infortunium, quod ex culpa subsecutum est. Illud ante criminis patrationem prævidere debebat. Quot lacrymæ tardius ex oculis manant!

CASUS V.

RESTITUTIO PRO FORNICATIONE 2°.

1° SIGEBERTUS, cum ANNAM seduxisset, et ex crimine prolem suscepisset, neque matri neque proli vult succurrere, quia, ait, mulier libere peccato consentiendo, libere etiam in omnia damna quæ subsecutura forent, subeunda, consensit.

2° LOELIUS pravum consortium pluries habuit cum LUCIA. Postea gravis evasit illa, et suo tempore prolem in lucem edidit. Reclamat igitur, ut sibi miseræ et filio opituletur. Negat ille se ei quidpiam erogaturum esse, quia, ait, illa eodem tempore in aliis turpibus consortiis versabatur, et facile sui corporis copiam aliis etiam faciebat: ergo minime constat natam prolem sibi esse tribuendam.

HINC :

QUÆR. 1° *An valeat excusatio SIGEBERTI?*2° *An LOELIUS ab omni obligatione liberetur?*

SOLUTIO :

741. — *R. ad 1^m Quæst.* Turpiter errat SIGEBERTUS circa obligationem suam, ut nemo non videt. Quam sint injustæ ejus excusationes, patet ex

dictis. Pater enim in omni casu saltem ad dimidiam partem expensarum pro educanda prole faciendarum, de jure naturali adstringitur. Ergo non audiendus SIGEBERTUS.

742. — *R. ad 2^m Quæ.* Quid vero de LOELIO erga LUCIAM? Si verum sit quod asserit LOELIUS, seu si ipsi certo constat LUCIAM alios amasios frequentasse et sui corporis copiam eis fecisse, non est urgendus ad restitutionem faciendam, saltem probabiliter. Ratio est, quia tunc nata proles non certo ad eum pertinet; onus autem certum imponi non debet, ubi dubia est obligatio. LUCIA illud damnum sibi imputare debet, quippe quæ, plures fornicatores admittendo, dubii causa fuit. *V. Comp. n. 728, etc., et 733. — S. Lig. n. 641, 657, etc.*

CASUS VI.

RESTITUTIO PRO ADULTERIO 1^o.

ROSAURA, mulier a quinque annis conjugata, prole carens, reputat difficulter eventurum esse ut prolem a marito suo CRISPINO suscipiat. Hinc duobus amasiis, circa idem quasi tempus, sui copiam fecit. Mox gravida est effecta, et subinde prolem suscepit, nec discernere potuit a quonam e duobus complicitibus prolem hanc habuerit. Postea vero, cum duos filios a marito suscepisset, dubium de vero patre prioris prolis majus adhuc evasit. CRISPINO autem defuncto, ejus hæreditas a duobus filiis certis et a filio putato collecta est.

HINC :

QUÆR. 1^o *An ad aliquid teneatur adulter in dubio an proles sit sua vel mariti?*

2^o *An ad aliquid teneantur duo adulteri in dubio utrum proles, certo illegitima, ad unum vel ad alium pertineat?*

3^o *Quid ad casum expositum?*

SOLUTIO :

743. — *R. ad 1^m Quæ.* Probabiliter adulter ad nihil tenetur, quia de damno non constat. Non est autem imponenda obligatio, nisi certa sit. Adde quod filius reputari debet legitimus, nisi illegitimus probetur; in hoc enim dubio possidet matrimonium. *S. Lig. n. 657, et alii communius, contra plures qui dicunt restituendum esse pro rata ab adultero.*

R. ad 2^m Quæ. Videtur utrumque adulterum obligandum esse ad restitutionem *pro rata*, juxta sententiam *communiores*; quia damnum in hoc casu est certum, et constat illud ab alterutro adultero patratum esse. Uterque igitur est causa efficax incertitudinis, quæ impedit ne compensatio ab uno determinato exigi possit. Innocens autem seu paterfamilias pro illa incertitudine pati non debet, *Lacroix, Lugo, etc.* Dissentit tamen *S. Lig.*, quia, ait, onus certum imponi non debet ubi dubia est obligatio. *V. Comp. n. 733.*

744. — *R. ad 3^m Quæ.* In casu exposito, de ortu illegitimo primi filii

minime constat. Etenim, cum CRISPINUS certos duos filios ex uxore suscepit, potuit etiam primum ipse suscipere, licet per quinque annos prolem nullam habuerit. Ergo pro legitimitate primi filii standum est.

CASUS VII.

RESTITUTIO PRO ADULTERIO 2^o.

ANATOLIA, a decem annis conjugata, nullam adhuc prolem a BONIFACIO, marito suo, suscepit. Hinc reciprocae querimonie inter conjuges, diuturnusque rancor. Tristem ducebant vitam, quum ecce uxor cum alio viro pravum habet consortium, et inde mox gravida evadit. Absque mora vaferrima mulier felicem eventum marito renuntiat, scilicet tandem ipsum evasisse patrem. Reipsa suo tempore, egregia forma filium parit. Gaudet et exultat lætitiæ impotens, nimium credulus maritus, ex eo quod diuturnis tandem votis progenies supervenerit. In posterum omnia prospere BONIFACIO succedunt; summa pace mutuoque amore gaudent conjuges. Tandem in senectute bona moritur putativus pater, lætus quod amplam hæreditatem filio, talentis et laudibus cumulado, relinquat.

HINC :

QUÆR. 1^o *An aliquid sit restituendum BONIFACIO, sive ab uxore adultera, sive a viro complice?*

2^o *An ab utroque sit restituendum hæredibus BONIFACII collateralibus, pro hæreditate quæ ab eos devenisset, si filius non fuisset fraudulenter BONIFACIO suppositus?*

SOLUTIO :

745. — *R. ad 1^m Quæ.* Nihil videtur restituendum BONIFACIO, neque ex parte uxoris, neque ex parte complicitis. Etenim ipse BONIFACIUS omnia bona sua, decurrente vita, servat. Si quid autem pro filio putato, tum nutriendo, tum educando, expenderit, amplam percipit compensationem in pace sibi occasione hujus filii restituta, in gaudio et felicitate qua ab hinc fruitur, uno verbo in omnibus prosperis quæ ipsi propterea succedunt, ita ut pro eo multo melius sit illa gaudere prole quam ea carere. Hæc autem commoda non mediocri pretio sunt æstimabilia.

746. — *R. ad 2^m Quæ.* Uterque adulter *per se* restituere debet in quantum fieri potest hæredibus etiam collateralibus, *pro rata*, et *in solidum*, alterutro deficiente. Obligatio ista ex principiis generalibus juris fluit. Etenim consanguinei qui, secluso spurio, in hæreditatem colligendam vocati fuissent, hoc commodo injuste frustrantur; habent enim *jus strictum* non quidem in ipsam hæreditatem, si non sint hæredes necessarii, sed ne fraude ab illa adeunda impediatur. Ergo ipsis est restituendum, saltem *pro rata* spei quam habebant ut illam consequerentur. *Carrière, de Justitia, n. 1388. — Schmalzgruber, Jus. eccl. t. 5, part. 1, tit. 38, n. 112, ubi dicit: « Tenetur adulter compensare omnia damna quæ intulit aliis liberis aut hæredibus legitimis. »* Hinc BONIFACIUS habendus est perinde ac si ab intestato moreretur, et prole careret. Possunt autem excipi plures

casus, v. g. si constaret quod BONIFACIUS bona sua his legitimis hæredibus relinquere nolisset in casu in quo prole fuisset destitutus, etc. In praxi vero difficillime restitutio saltem ex integro fieri potest, sive ex parte viri, sive præsertim ex parte uxoris.

CASUS VIII.

RESTITUTIO PRO ADULTERIO 3°.

DRUSUS prolem, ex illegitimo commercio cum DRUSILLA susceptam, ad nosocomium secreto deferri jussit, vitandi scandali, famæque tum complicitum propriæ servandæ causa. Verum, licet satis dives sit, ad nullam tamen compensationem pro expensis educationis prolis erga nosocomium faciendam a Confessario induci postest. Quare absque absolute dimittitur.

HINC :

QUÆR. 1° *An ad aliquid teneantur qui prolem spuriam exponunt, ut colligatur, et in nosocomio suscipiatur atque educetur.*

2° *An recte Confessarius egerit cum DRUSO?*

SOLUTIO :

747. — *R. ad 1^m Quæs. Affirm. probabilius*, cum sententia communi. Ratio est, quia, si pia loca a munificentia fidelium fundata sint, pii fundatores non sunt præsumendi voluisse parentes divites ab expensis eximere; quippe qui eleemosina non indigent. Si vero a Gubernio erecta sint, hoc non magis fornicatoribus favere intendit. Ergo... — Attamen *S. Lig.* sententiam oppositam non solum ut *probabilem*, sed etiam ut *probabilior* habet, n. 656, quia pia loca erecta sunt generatim pro omnibus infantibus qui a parentibus abjiciuntur. *V. Comp. n. 734.*

748. — *R. ad 2^m Quæs.* Non videtur damnandus confessarius, quippe qui sententiæ communi se conformavit. Insuper recte potuit DRUSO aliquid solvendum præscribere, saltem ratione pœnitentiæ, etiamsi ratione strictæ justitiæ non potuisset. Caveat tamen Confessarius pro sua prudentia, ne rigorosam et absolutam obligationem imponat, quando advertit pœnitentem non esse monitioni obtemperaturum, quia absque fructu, imo summo ejus periculo illum a Sacramentis averteret. In hoc igitur casu sententia *S. Ligorii* facilius uti licebit: *In omnibus respice finem.*

CASUS IX.

UXORIS ADULTERÆ CONFESSIO.

ZUMELLA, vidua, e vivis abitura, congregatis quinque filiis, declarat unum ex ipsis spurium esse, et ab eis postulat utrum velint ut quis sit ille aperiat, aut malint sibi invicem illius injuriam remittere. Obstupefacti et perturbati siluere primum omnes; subinde singuli declararunt se malle ut res alto premeretur silentio.

HINC :

QUÆR. 1° *An mulier adultera teneatur se declarare, ad damnum proli legitimæ impediendum?*

2° *An filius qui diceretur a matre spurius, ei credere deberet?*

3° *An recte egerit ZUMELLA?*

4° *An condonatio mutua filiorum valeat?*

SOLUTIO :

749. — *R. ad 1^m Quæs. Neg. generatim loquendo*, quia communiter hujusmodi revelatio sine maxima matris infamia et gravissimis incommodis totius familiæ fieri nequit. Insuper tali modo difficile damnum reparari posset. *S. Lig. n. 653.*

R. ad 2^m Quæs. Neg. etiam, quia nemo tenetur credere, in suum gravissimum incommodum, unico testi, etiam probatæ fidei, nisi alia indicia evidentissima accedant. *S. Lig. n. 654.*

R. ad 3^m Quæs. Neg. Remedium est malo pejus. Hæc enim agendi ratio est imprudentissima, quia potest esse causa proximæ suspitionum et dissensionum, etiamsi spurius nullo modo designaretur.

750. — *R. ad 4^m Quæs. Neg.* pariter; talis enim matris propositio est iniqua, quia omnibus filiis metum gravem injicit, et efficit ut suspitioni illegitimi ortus subjiciantur. Hinc tali via mater nullatenus ab onere restitutionis excusaretur. Confessarius igitur nunquam hujusmodi praxim suadere, neque permittere potest. *Lugo, D. 13, n. 42.*

CASUS X.

DEFRAUDATIO IN TRIBUTIS 1°.

SEVERINUS, Sacerdos, confessiones excipiens, sedulo pœnitentes interrogat utrum nonnihil defraudaverint in tributis solvendis pro mercium emptione, venditione aut transvectione; item utrum præpositos devitaverint, vel etiam utrum ultro omiserint merces transvectas præpositis manifestare, etiam non interrogati: fatentes autem obligat ad restitutionem integram præpositis faciendam, seriamque promissionem ab iis exigit, et quidem sub absolute denegatione, non amplius de cætero delinquendi.

BLANDINUS autem, alter Sacerdos, de proposito nunquam pœnitentes circa tributa interrogat; si quos ultro confitentes audiat, tacet; interrogantibus de liceitate defraudationis respondet non videri quidem illicitam, saltem post factum non esse restituendum; imo damnare non audet præpositos negligentes aut malevolos in officio suo adimplendo, nec ipsorum præpositorum corruptores.

HINC :

QUÆR. 1° *An detur stricta obligatio in conscientia solvendi vectigalia seu tributa, quæ pro mercibus vendendis aut evehendis statuuntur?*